



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata  
Heinrychi Bullingeri lib. IIII**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1535**

**VD16 B 9759**

Quo pacto mouendus

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35433**

## LIBER III.

ferre non possunt, ferant libidinosum & insolentem  
tyrannum, simul cum eo extremum supplicium expe-  
ctatur. Adhuc tamen manus domini extenta est, &  
plagam minatur. Quod si alio quopiā casu, ut ui aut  
hēreditate regnum inuasit, ferre hunc oportet, donec  
dominus liberet oppressos, ne motus per nos excite-  
tur. Regnum enim dei iustitia est, pax, & gaudium  
in spiritu sancto, Roma. 14. Non ergo desunt uiae per  
quos impij magistratus tollantur, sed deest nobis stu-  
dium iustitiae & ueritatis, deest metus dei, & flagia-  
tia paſſim regnant. Non enim fieri potest, ut tyranno-  
ni tantum liceat, nisi plures sint flagitosi, per quos  
uim suam tueatur tyrannus. In primis autem prophe-  
tæ uocales esse debent & principum malefacta taxare,  
nec alia uia uincendi tyrannidem cōmodior, quam  
ut uitam semel morti destinent uerbi ministri. Corpus  
obiectandum periculis & uerberibus. Nero, Domicia-  
nus, Maximianus, et reliqui, si Christi doctrinā trucia-  
dando & sanguinem fundendo excindere non potue-  
runt, multo minus insani principes, sed quum nos in-  
trepidi steterimus. Hæc ergo prima uia, ut speculato-  
res non sint cæci, canes fint non muti, ut murū se inter-  
peccata populi & deum ponant, ut diruptam sepem  
reficiant. Proxima, ut indefessis precibus aures ira-  
ti dei pulsemus, qui hypocritas regnare facit propter  
scelerata nostra. Postremo, ut sitiamus iustitiam, ut emen-  
demus

demus uitam, ut mutemus mores. Si enim pijs et iusti fuerimus, impossibile est ut diu regnet tyrannus. SIMON.

Totus Israël à Roboam defecit à morte Solomonis, quod nimium eos pressit, idq; suo marte, 3. Reg. 12.

IOIADA. Cur non legis quæ illic sequuntur: Et non acqueuit rex populo, quoniam auersatus fuerat eum dominus, ut fuscitaret uerbum suum, quod locutus fuerat in manu Ahiae Silonitæ ad Hieroboam filium Nabat. Neq; his probare poteris ut liceat cuius impetum facere pro libidine sua in tyrannos. SIMON. Metuo ne hæc doctrina ignauos & socordes faciat homines, ut si quando dominus liberatorem mittat, dubitent de uoluntate domini. IOIADA.

Aliud cura. Vbi tam grandia incepit deus, non adhibet socordes & ignauos homines: sapientiam præstat, fidem, fortitudinem, robur, & ad destinatū finem omnia producit. Quod in Mose et Gedeone cæterisq; uidere licet. Ad pacem omnia dirigit pius. Deinde scit populum simul plecti si male regnant principes. Hæc pius & fidelem hominem anxium reddunt, & studio quodam pietatis accendunt, cautum reddunt & circumspicuum non audacem & præfractum, urgent ut deum anxie precetur, & die noctuq; de emendatione omnium eorum quæ contra deum fiunt cogitet. Iam deus uias ostendit quibus uota piorum perficiantur, nec deserit insperantes, non repellit ad se cla-